



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CCXXIV. Differentia 9. Virginem corrumpens iure Canonico in uxorem
accipere tenetur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA 9.

Virginem corrumpens iure Canonico in uxorem accipere tenetur, c. 1. de adult. iure civili aliter punitur, §. 2. Institut. de publ. jud. Bait.

124. Ioann. Bapt. à S.

Blasio 140.

I. Quod in c. 22. v. 16. Exodi legitur in c. 1. de adult. translatum est, si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabis eam, & habebit uxorem. Si verò pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt. Nolenti stupratam à se uxorem habere Greg. Papa in c. 2. eod. aliam pœnam statuit, ut nimirum corporaliter castigatus excommunicatusque in monasterium, in quo agat pœnitentiam, derrudatur, de quo nulla sit egrediendi sine præceptione licentia. Glossa in v. Plestendum, notat subintelligi relegationem lege constitutam, vel, si vilis persona fuerit, verberationem, §. 2. Institut. de publ. iudic. si autem stuprum vi intulit, capitis pœnâ puniendum esse, ita in laicis stuprum vindicatur. Farinac. part. 5. q. 147. Sanch. l. 7. d. 14. Clerici eodem vitio inquinati pœna est depositio ex communi DD. opinione apud Iul. Clarum §. Simonia n. 3.

II. Horum temporum praxis nihil à stupratore aliud exigit, quàm ut viria-

tam puellam (modò honesta, & non infamis sit) uxorem accipiat, vel dotem suppeditet. Sic juris rigori derogatum esse Clarus loco citato notat, addens, pro stupro cum vidua commissio (ira Legistæ appellant contra communem Theologorum sensum) nunquam vidisse se aliquem puniri, & in regnis Hispaniæ generali consuetudine abolitam esse ejusmodi pœnam. V. Antonin. part. 2. tit. 2. c. 1. §. 1. Silv. v. Luxuria, n. 5. Molin. disp. 106. Less. c. 10. D. 2. Az. III. l. 5. q. 2. Laym. l. 3. Tract. 3. part. 3. c. 13. n. 3. Vasq. Tr. de restitut. c. 3. Ioann. de la Cruz. in Prac. VII. art. 2. D. 4. Barbosa. inc. Pervenit, de adult. Denique Comitol. l. 4. q. 16. ubi ea potissimum explicat, quæ in foro conscientiæ Confessariis prosint pro satisfactione, & compensatione illorum, qui se in hoc genere delicti fecerunt.

* * *